

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Filijs Guilhelmi Reiffenstein S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

sed serò admodum: non enim sine negocijs, ex lulentis uijs eluctati sumus. Bonam itineris partè con fecimus pedites, cum quidem & perplueremur, & pedes uix in lubrico consistere possent. Doctor Ioannes mirificè stomachatus est, priusquam huc uenimus: ac de fide tum mea, tum patris, hìc questus est. Vir optimus, nihil ducit fide antiquius. Sed facile ei satisfacimus. Hec patri meis uerbis, imò tuis (quid enim dulcius oratione tua?) exponito. Milichius te salutat: & iubet ingenti animo in hoc studiorũ curriculo, in quod diuinitus ingressus es, pergere: atq; existimare, te ea in re necessariũ Reipub. officium præstare, quæ quidè à bonis ingenijs hoc postulat, ut Philosophiæ professionem defendendam sibi esse sentiant. Bene uale. Islebia. Saluta fratres, & præceptorem: & rescribe.

Filijs Guilhelmi Reiffenstein

S. D.

Quod faustum foelixq; sit uobis omnibus, Marcellus ad uos proficiscitur, cui existimo patrem studia uestra commendaturum esse. Quare dedi ei literas ad uos: & libenter plura scripsissem, si per occasionem licuisset. Hortor igitur, ut hominem doctum atq; probum reuerenter excipiat: & cum præfectus fuerit studijs uestris, ametis & colatis. Decet enim unà cum bonis literis, omnium pulcher
rimarum

rimarum uirtutum officia discere. Nam hæc scholæ nostræ non solum doctrinæ & literarum, sed multo magis uirtutis et humanitatis officia esse debent. Est autem alumna aliarum uirtutum, pietas erga præceptores. De hac re plura scriberem, nisi scirem uos hæc præcepta & legere quotidie, & à uiro optimo patre uestro audire. Bene & feliciter ualete.

D. Iusto Ionæ, S. D.

Reuerende domine Doctor. Honestissima matrona coniunx tua, & de te & dulcissimis filiis ualde sollicita fuit, cum flumen largius intumuisse audiuissemus. Nam de anne Sala ante literas uestras nihil audiuius. Gratia igitur rem & honestissimæ coniugi tuæ & nobis fecisti, quod literas de commoratione uestra in Salinis misisti. Nunc Deum æternum patrem Domini iesu oramus, ut uos omnes incolumes reducat, feliciter constituta inter comites Mansfeldiæ cõcordia. Hic Dei beneficio tranquillitas est, & ut sit diuturna Deus faciat. Adhuc etiam de cõuentu ad Danubium silentium est. Mortem ducis Luneburgensis, boni principis, qui Deum uero pectore coluit, ualde lugemus. Deus seruet & regat ceteros principes, amantes Ecclesias Dei. Bene & feliciter uale. Vltimo die Ianuarij.

Nepotibus Spalatini S. D.

Bene fecistis, quod auunculum uestrum de mutatione